



DISSERTATIO  
HISTORICO-PHILOSOPHICA  
*De*  
**FORTUNA CLARORUM BELLIDUCUM, SUB  
FINEM MILITIÆ PLERUM-  
QUE ADVERSA,**

*QVAM*  
DEO JUVANTE  
AC ANNUENTE INCLUTA FACULT. PHILOS.  
IN ILLUSTR. ACAD. LIPS.

PRÆSIDE  
*VIRO PLURIMUM REVERENDO  
ATQVE EXCELLENTISSIMO*  
**DN. L. VALENTINO ALBERTI,**  
Professore Publico

SS. Theologiæ Extraordinario, & Logicæ ac Metaph.  
Ordinario longè Celeberrimo,

Collegii Beatæ Mariæ Virginis Collegiato Gravissimo,

*Dn. Patrono ac Præceptore æternum devenerando,*

P. P.

**HENRICUS CRAMER, Lips.**

*ad VI. Martii A. MDC LXXV.*

H. L. Q. C.

**LIPSIÆ,**

Literis JOHANN-ERICI HAHNII.



28. H. J. Müller







dic  
den  
qua  
Du  
liu  
den  
cit  
qu  
do,  
po  
am  
Pa  
un  
git  
Jo  
de  
cea  
qu  
for  
cit  
vig







C. B. D!



Ultas in vitâ mutationes variosq; eventus existe-  
re, fieriq; posse, ut qvi optimè fortunatus sit, in  
magnas incidat calamitates in senectute; jam  
olim notatum & tanquam ex tripode dictum  
fuit ab Aristotele. Hoc, si ab homine umbratico

*L. 1. Nicom. c. 9.  
in fine.*

& nimis meticuloso, fortè qvis profectum esse  
diceret, voto συγγερόνσ Philippi Macedonum Regis plus pon-  
deris inerit. Hic enim cùm eodem die nuncium accepisset:  
quadrigas suas in Olympicis ludis vicisse: item Parmenionem  
Ducem suum, hostes prælio fudisse: ac prætereà natum sibi fi-

*Plutarch. in  
Orat. Consola-  
tor. ad Apollo-  
nium.*

lium esse Alexandrum: veritus, ne fortuna, cùm tot bona eo-  
dem tempore cumulasset, mutata, gravioribus malis hanc feli-  
citatem repensaret, dixisse fertur: *O fortuna, celeriter potius ali-  
quid parvæ molestiæ, ad pensanda hæc tanta bona, quàm differen-  
do, majora mala afferto.* Esto verò: dictum & hoc esse à Philip-  
po fortè ex tenero amore in recens natum Filium, eumq; tunc  
amati potiùs quàm armati habitum atq;ve animum induisse:  
*Paulus tamen Æmilius, cum adhuc hostes festivissimasq;ve tri-  
umphæ ceremonias ante oculos haberet, fortunam quasi ad di-  
gitorum numerum exactè computans: Unius, inquit, diei spatio  
Jonium à Brundisio transgressus Corcyra applicui. Quinta dein-  
de die in Delphis sacrificio peractò, aliis quinq; diebus copias ex Ma-  
cedoniâ suscepi, lustratoq;ve exercitu ac rem gerere adortus,  
quintâ decimâ post hos die bellum confeci. Suspecta mihi erat  
fortuna propter tantam prosperitatem: Et cum victorem exer-  
citum, Et spolia Et Reges captivos rediens deportarem, in ipsâ na-  
vigazione adversum aliquem casum formidavi. Sed cum jam sal-*

*Plutarch. in  
vita Æmilii,*





vis rebus incolumisq; ad vos delatus, urbem letitiâ & festivitate compleri aspicerem, adhuc fortunam suspectam habui, quam sciebam nihil purum, nihil sine invidiâ hominibus gratificari consuisse. Propius adhuc ex militaribus & Principibus Viris Julius Cæsar ad dictum Aristotelis facto ipso accessit. Postquam enim ille cum hoste quinquagies (quoties Romanorum Ducum nemo) collatis signis conflisset, tandem modum adhibere voluit, veritus, ne fortunam, quam toties secundam habuisset, adversam semel experiretur. Ut taceamus similem aliorum, sive prudentiam sive superstitionem. Hinc autem patrocinium argumento nostro petimus. Volumus id esse fortunam Illustrum belli Ducum, crescentibus meritis atque annis, decrescen-tem. Sed eam in cathedrâ castris, ab hominibus Scholasticis Heroibus imputari, res periculi plena videri poterat, nisi ab his ipsis idem dictum aut creditum fuisse, certò cognovissemus; imò hodiè non minùs ac olim trito in sermone proverbio talem fortunam jactari, deprehendissemus. Sumpsimus itaque animum, & de illâ sic agere constituimus, ut primum ex omni historia aliquot (omnibus enim nec memoria nec charta sufficeret, nec instituti nostri ratio faveret,) exempla colligeremus, quibus aliqua fides huic observationi conciliaretur: deinde in causas inquireremus, quibus hujusmodi fortuna videretur ex vero adscribenda esse. Procedentibus sic nobis, duo Tractationis nata sunt Capita: quorum primum diximus Historicum, alterum, Philosophicum, habitâ scilicet methodi ac materiæ ratione. Geruntur quidem & hodiè bella, nec desunt Veterani Duces, fortunâ non minùs ac virtute præstantes; sed injuriam nobis faciet, (ut non dissimilem protestationem Grotii faciamus nostram) si quis nos ad illos, obliquo aut invidio oculo respexisse arbitratur. Omnia hîc sine irâ & studio, quorum causas procul habemus. Faxit autem Deus Exercituum, Feliciter!

Sabell. L. I. cap.  
6. Ethn. exempl.  
de senect.

In Proleg. libb.  
de J. B. & P.

Caput



# Caput I. Historicum.

## THESIS I.

**A**rgumentum, in quo observatio & tractatio nostra occupabitur, erunt (a) homines militares terrâ marive, interqve eos (b) Moderatores summi & summis proximi, hisqve propius subordinati.

1.  
Objecti materiale.

(a) *Cassaneus* ad nostra tempora & Christianorum mores respiciens in *Catal. gloria mundi* p. 332. milites in tres dividit ordines: quorum primus complectitur militiam, uti loquitur, Ecclesiasticam, sive Equites Ecclesiasticos, Hierosolymitanos &c. secundus Equites seculares: tertius milites armatae militiae sive actu militantes. De hoc nobis est sermo, reliquis hic, nisi prout in hunc ordinem aut castra migrant, quod Equites primi ordinis saltem non semper faciunt, locum non inventuris.

(b) In hunc modum distingvit *Grotius* L. 3. de *Jure B. & P. cap. 22. §. 1.* inter summas & minores potestates. Per summas potestates intelligit Magistratus summos, qui jus belli gerendi habent. Minores subdividit in Duces summis potestatibus proximos, quales sunt Duces excellenter dicti, de quibus illud *Livii Lib. 4.* capiendum: *Nec Ducem novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur: & in longius remotos, quos sic distingvit Caesar. Comment. 3. de Bello Civili: Alia sunt Legati partes, alia Imperatoris. Alter agere ad praescriptum, alter liberè ad summam rerum consulere debet.* Latiori divisione, Ducum alii erant proprii, alii communes. Illi partem exercitus aliquam imperio subordinato regebant, quales erant Tribuni, Centuriones &c. Hi toti exercitui praerant, sive ut Legati sive ut Imperatores; quos distingvit locus modo allegatus *Livii.* Vide plura ex antiquis & recentibus rei militaris scriptoribus in compendium redacta apud *Kippingium Antiquit. Roman. L. 3. c. 3. p. 522. seqq.* Nec dissimile discrimen hodiè obtinet. Nos autem, sicut summas potestates, hoc est, personas majestate praeditas, puta Reges, aut eorum similes, modò militaribus turmis Regium pulverem aut sudorem (*Plin. in Paneg.*) miscuerint, in nostrâ tractatione vel primo loco ponemus: Ita ex minoribus potestatibus tantum eas, quæ à summis proximè (olim Imperatores, hodiè Genera-

lissimi



lissimi aut similis nominis) vel paulò remotius, (olim Legati, hodie Locum-tenentes, Generales &c.) non autem nimis, uti tribuni &c. distant, in societatem vocabimus. Nostrorum, quicumque illi sint, est: *castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, aciem hostium profligare*; sicuti officium ac studium eorum delineat *Cicero in oratione pro C. Rabirio Postumo*; nisi quod ad navalem militiam nos etiam respiciamus, quæ uti nostro quàm Ciceronis tempore longè majoris apparatus, scientiæ ac momenti est: ità Archithalassos magno nomine ac ingentibus meritis tulit clarissimos. Vide cum de aliorum olim hodieq; tum Belgarum inprimis navali militia ex junioribus *Mart. Schookium in Imperio marit.* ex professo.

## THESIS II.

II.  
*Objecti Formale: κατ' ἀρ-  
 σιν, quod hoc  
 non pertinet.*

Inter hujusmodi Duces à nostrâ tractatione alieni sunt (c) qui semper fuerunt felices aut (d) infelices; item (e) qui fortunam variam aut (f) sub initium aut medium militiæ suæ finistram, sub finem secundam experti sunt: nec non (g) ii, qui extra aut intra castra, violentâ morte, sed cætera fortunati aut etiam victores, occubuêrunt.

(c) Talis *Alexander M.*, quæm *Græci Autores ita congestis laudibus supra mortales attollunt, ut cæteræ gentes illum seipso admirabiliorem extitisse arbitrentur, quod nondum alteram fortunam expertus, dum bella ex bellis sereret, in medio vitæ cursu ceciderit.* Sic nomine *Græcorum Scriptorum Jovius in elogio Alex. p. 8.* Cui consonat ad verbum fermè illud *Livii L. 9: Clariorem eum facit, quod adolescens in incremento rerum nondum alteram fortunam expertus decessit.* Felicitas etiam *Ciceroni* inter requisita *Supremi militiæ Ducis*, sed generalius, nullâ factâ constantiæ mentione, sed ultimo loco, cum, ut loquitur inferiùs, *eam præstare de seipso nemo possit*, numerata: *Ego enim, inquit, in orat. pro L. Manil. sic existimo, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.* *Exempla Rom. vid. apud Plut. de Rom. fortuna.*

(d) Tantam fati pertinaciam notat *Zeilerus Epist. 562. p. 910.* in *Lanovio*, qui, cum esset *Vir ingens, & fortitudine, prudentiâ, rei militaris peritiâ cum maximis superioris seculi ducibus comparandus*, teste *Thuano*



*Tbuano L. 102. p. 430.* sinistra fortuna ut plurimum usus, quater captus fuit, brachium etiam ac tandem vitam A. 1591. in infelici Lemballæ obsidione ex ictu sclopeti amisit.

(e) Innumerus horum semper ac ubique fuit numerus. Fortunæ enim inconstantia cum in omnibus vitæ generibus locum invenit, tum maximè regnat in bello. Vide *Valer. M. Lib. 6. c. 9.* Hinc eleganter Homero Mars dicitur ἀλλοτρεῖσα ἄλκιον, *Iliad. 8.*

(f) Ipse *Cæsar*, inter primæ juventæ initia privatus Asiam petens circa Pharmacusam Insulam à prædonibus captus est: mansitque apud eos non sine summa indignatione propè quadraginta dies. Eisdem verò, à quibus libertatem pretio redimere opus habebat, continuò cruci affixit, & ex eo tempore meliorem fortunam expertus est. *Svet. & Plutarch. in J. Cæs. Valer. M. lib. 6. c. 9.* Vide apud hunc etiam *P. Ventidium*, à *Cn. Pompejo Magni Patre in triumpho populi oculis subjectum*, qui postea à Romæ ex Parthis & per Parthos de *Crassi manibus in hostili solo miserabiliter jacentibus triumphum duxit.*

(g) Extra castra sic olim *J. Cæsarem*, nostro hoc seculo in Galliis *Henricum IV.* Par Heroum Maximum, ac prætereà plures alios, Romulum ipsum etiam, in ipso fortunæ fastigio peremptos fuisse, notum est. In castris non paucioribus id contigit. Sic olim *Brutus*, Consul Romanorum Primus, *Decii, Pater & Filii*, apud *Liv. Lib. 2. 8. & 10.* superiori seculo A. 53. *Mauritius* Elector Saxonæ, hoc nostro A. 32. *Gust. Adolphus* Rex Sveciæ, fortiter occumbentes, fortunam atque hostes suos vicerunt ac triumpharunt. Applausum orbis, quo excepta fuit gloriosa illorum mors, ineptè perturbaremus, si tam illustria nomina inter infelices belli Duces referre vellemus. Vulgi hoc sit judicium. Rectius *Horatius Odar. L. III. 2. Dulce & Decorum est pro Patriâ mori.* Cicero, jamjam in exilium iturus: *Mors miseranda non est, quæ ob Remp. capitur.* Idem in *Orat. pro P. Sextio* postquam hoc genus mortis, exemplis tam fœminarum quam Virorum splendide comprobasset, tandem non secus ac si de ineundo numero talium Heroum, & quidem apud solos Romanos, planè desperaret, *innumerabiles alios partim adipiscende laudis, partim vitandæ turpitudinis causâ, mortem in variis bellis, æquissimis animis oppetiisse testatur.* Horum omnium quasi symbolum est ul-



est ultima vox *Epaminonda*: *satis*, cum victor moreretur, inq̄uen-  
tis, *vixi*; *invictus enim morior*. *Nep. in vitâ ejus.*

### THESIS III.

**P**ER sinistram etiam fortunam non intelligimus (b) aliam,  
quàm (i) Militarem.

(b) Præter militarem datur domestica, quæ privatim in domo Pa-  
trem familias, atque Civilis, quæ publice in Republica Civem, in-  
primis potentio rem affligit. *Illam cum innumeris aliis expertus*  
*fuit Alcibiades. Nam Thracæ, postquam eum exulem ac fugitivum*  
*cum magnâ pecuniâ ad se venisse senserunt, insidias ei fecerunt: qui*  
*ea quæ apportavit, abstulerunt. Cornel. Nep. in Alcib. Hanc, præter*  
*plurimos alios, subiit Themistocles, testularum suffragiis è civitate*  
*ejectus. Vid. Plutarch. & Nepot.*

(i) Militaris felicitatem in bello gerendo perturbat aut evertit. Ad  
hanc referentur in sequentibus Duces bellici, quorum exercitus  
fusi, conatus in obsidendo everfi, ipsi capti, aut simul victi, simul  
occisi. Summus hujus gradus est, quando *destinata salubriter* (ni-  
hil eorum, quæ fieri debent, omittente Duce) *omni ratione poten-*  
*tior fortuna discutit: Curt. L. 3. c. 8. in fine.*

### THESIS IV.

κτ̄ θεόν,  
quod huc per-  
tinet.

**N**Oster igitur Dux belli est is, (k) qui rebus præclare ac fe-  
liciter gestis, nomen egregii ac felicitis Ducis sibi acquisi-  
vit, sed ante finem militiæ suæ, conatibus ac actionibus  
suis bellicis eventum non respondere aut adversari, expe-  
ritur.

(k) Brevius & cum applicatione ad exemplum, *Tacitus L. Annal. XII.*  
*c. 38: Censentur Ostorio, devicto Caractaco, triumphus insignia: pro-*  
*speris ad id rebus ejus, mox ambiguus: imò quem tadio curarum fes-*  
*sus, concessisse vitâ, mox cap. sequente refert.*

### THESIS V.

**N**Oster etiam belli Dux est is, cui sinistra militaris fortu-  
na ex vero, non ex aliorum culpâ & criminatione (l)  
falsò, imputatur.

(l) Hâc fallaciâ usus *Chares* infelicem navalis expeditionis adver-  
sus Samum exitum, quem suâ temeritate accelerarat, *Timotheo &*  
*Iphi-*



Iphicrati usu & sapientia præstantibus Ducibus, adscripsit. *Cornel. Nep. in Timoth.*

### THESIS VI.

Exempla  
Asiatica.

Ubiqve verò hujusmodi Ducum exempla inveniuntur. Inter hæc, ut aliquem ordinem observemus, in Asiâ (m) primùm inqviremus in (n) Judaica.

(m) Jure suo hæc reliqvas terræ partes antecedit; ut quæ prima genus mortalium intra se conspexit & in alias Mundi partes emisit. Prima gentium ritus, sacra, mores, rationemqve vivendi alias docuit. Hæc deniqve est, quæ Deum ipsum humanâ specie tulit. *Cluver. introd. Geogr. L. 5. c. 1. p. 460.*

(n) Inter Asiaticos populos primus locus debetur Judæis, populo ipsius Dei. Etsi verò *Cunæus lib. 2. de Rep. Hebr. c. 18. p. 193.* conqueritur, quòd veterum Rabbiorum industria adeò incuriosè militiam Republicæ Hebraicæ pervestigârit, penè ut nihil sit, quòd proditum commentationibus eorum, meminerit; nobis tamen sufficiet historia sacra.

### THESIS VII.

Inter Judæos huc pertinent ex (o) Judicibus, (p) Regibus & (q) Ducibus militaribus aliqui.

(o) Ex Judicibus unicus quidem Abimelechus, qui postquam feliciter expugnaverat Sichemitas ac Thebes civitatem, hujus turrim, accensurus ictu saxi à fœminâ projecti periit. *Jud. cap. IX.* Reliqui Judicum fortitudine ac fortunâ bellicâ ad finem vitæ excellerunt, ἰσχυροὶ ἐν πολέμῳ, validi in bello, *Hebr. XI, 34.* Annumeravit his *Theodoretus* Mathathæ filios, seu *Machabæos*, *Judam*, &c. Sed dubium non est, quin hi judicibus illis fortunâ fuerint inferiores, adeò, ut *Judam* imprimis, primum ex iis ac primarium Ducem, censeamus referendum esse inter Nostros, quorum fortuna bellica cum ætate senescit. Nam & *Judas* in conflictu cum *Bacchide*, hætenus felicissimus, cecidit & ceteri fugerunt. *1. Maccab. IX. 18.*

(p) Primus Regum *Saul*, primùm felicissimus, cujus gladius non est reversus inanis, teste  *Davide 2. Sam. I, 22.* post  *Davidi* impar, tandem à  *Philistinis* victus, ἀνέχερα vitam miserè finit. *1. Sam. XXXI. 1.*

B

Paral.



*Paral. XI. De manu Aſæ Æthiopum Triumphatoris evaſit Syriae Regis exercitus 2. Paral. XIV. XVI. Achabus Benadadis Victor, ab Aſſyriis fuſus & occiſus eſt, 1. Reg. XX. XXII. Amasias, percuffis feliciter filiis Seir, poſt capitur ab hoſtibus & interficitur 2. Paral. XXV.*

(g) Inter Duces Militares exemplo poteſt eſſe *Abner*, ab ipſo Davide Princeps & maximus in Iſraël 2. Sam. III, 38. aliàs cum ſui ſimilibus Princeps exercitus aut militia dictus. Hic dum ſub Saulo 1. Sam. XIV, 47, 48. in variis præliis contra Moabitas, Ammonitas, Reges Zobæ, Philiftæos & Amalekitas Ducis bellici munia obit, utitur fortunâ fatiſ prosperâ. Tanta etiam ejus apud Populum erat autoritas, ut Saulo mortuo, niſi divina providentia interceſſiſſet, difficile ipſi nequaquam fuiſſet Sauli Filium ad Thronum evehere, quem etiam toto biennio ſummis viribus defendebat 2. Sam. II, 8, & 10. Paulò verò poſt, cùm contra Davidem pugnaret, victus adeoque fortunæ perfidiam expertus, perfidus & ipſe fit, Dominoque ſuo Iſboſetho mulierculæ cauſâ deſerto 2. Sam. III, 7. ſeqq. ad Davidem tranſit, *ibid. v. 20.* ſed à Joabo enſe inſidioſè tranſfixus diem ſupremum obiit. *ibid. v. 27.*

### THESIS VIII.

In Aſiâ etiam effloruerunt duæ Monarchiæ primæ; *Alterâ* Aſſyriorum, *alterâ* Perſarum. In hac (r) potiùs quàm illâ licet exempla hujusmodi fortunæ invenire (s) Cyrum, (t) Darium Hyſtaſp. (u) Darium Codomannum.

(r) In primâ Monarchiâ locum vix invenire potuerunt, partim per Fundatorum felicitatem, quæ in ſceminâ *Semiramide* ad faſtigium pervenit; partim per ſucceſſorum, longâ ſerie, ignaviam, uſque ad *Sardanapalum, Virum muliere corruptiorem*, in quo imperium ab Aſſyriis ad Medos tranſiit. Nec tamen hi, quod ad noſtrum argumentum aperte ac planè quadret, fuggerunt.

(s) *Cyrus* autem ordinem non minùs exemplorum in ſecundâ Monarchiâ, ac hanc ipſam auſpicatur, qui Perſarum defectione adjutus & Harpagi conſiliis perſuaſus, de Aſtyage Avo Materno pœnas attentati ſumit parricidii, eumque regno ejicit. Compoſitis deinde in Media rebus, Babylonios aggreditur, quibus devictis Monarchiam Perſicam orditur. Totâ denique Aſiâ ſubactâ & univerſo Oriente in poteſtatem redactò, Scythiſ bellum infert, verùm even-

tu pa-



tu parum felici. Quippe astu Tomyris Scytharum Regina circumventus & angustiis inclusus cum omni exercitu ad internecionem deletur, adeo ut ne nuntius quidem tanta tamque inaudita stragis superfuerit. *Just. lib. I. cap. 5. 6. 7. 8. Herodotus Lib. 1.*

(t) *Darius Hystaspis*, post Babylonios rebelles in ordinem redactos, in Scythas infeliciter movit, Miltiadi in campo Marathonio, fortunæque per Ægyptiorum defectionem & filiorum de successione controversiam, ita succubuit, ut id bellum restaurare non potuerit. *Herod. L. 3. & 5. Thucyd. Lib. 6. Justinus Lib. I. & II.*

(u) Majorem fati inclementiam expertus est *Darius Codomannus*, qui in bello contra Cadusios fortissimè se gerens, adversus provocatorem hostium non modò procedit, sed etiam cæso eo, victoriam suis pariter & propè amissam gloriam restituit. Ob quæ egregia facta etiam Armeniis præficitur, imò post mortem Ochi Regis, Rex ipse constituitur. Bellum denique cum Alexandro M. diu variante fortunâ, magnâ virtute gessit. Postremò tamen victus ab Alexandro & à Cognatis occisus, vitam pariter cum Persarum Regno finivit. *Just. lib. X. c. 3.*

Adjecissemus etiam *Xerxem*, qui in Ægyptio bello felix, in Græco infelicissimus extitit, modò Ducis titulum æquè ac infortunati bellatoris mereretur. Illum enim erubescimus tribuere ei, qui primus in fugâ, postremus in prælio semper visus est; in periculis timidus, sicubi metus abesset, inflatus, notante *Justino L. II, c. 10.*

*Priamum* huc etiam ex minori Asia retulissemus, & quidem Autore *Aristotele*, qui eum *L. I. Nic. c. 9. & 10.* exemplum hujusmodi fortunæ eligit. Sed inter allegandum ipse suspectam ejus historiam, reddit: ut in *Heroicis*, inqviens cap. 9. de *Priamo* (*μυρτὸν*) ferunt *fabule*. Regnum aliàs Trojæ primùm feliciter amplificasse, sed in bello Trojano jacturam ejus, filiorum, vitæ fecisse scribitur. Epitaphii loco potest esse illud *Virgilii Æneid. L. 2.* fortunam ejus utramque graviter & nervose complexi:

*Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum  
Sorte tulit, Trojam incensam & prolapsa videntem  
Pergama, tot quondam populis terrisq; superbum  
Regnatorem Asia. Jacet ingens littore truncus,  
Avulsamque (à Pyrrho) humeris caput & sine nomine corpus.*



Rectius huc unus atque alter ex ultimis *China* Monarchis, inprimis *Thiennius* refertur, qui cum clavum ab A. 1620. usque ad 27. in vastissimo & jam tum à Tartaris graviter afflicto Imperio teneret, hos hostes suos ex Chinâ ultra murum recedere coëgit; sed reversis his & fortunâ recedente, planè eos exigere non potuit. Hinc aditus eis ad totum deinde Regnum occupandum factus. Vid. *Martinius*, aliiqve rerum Chinesium scriptores.

#### THESIS IX.

II.  
*Africana.*

Commodum ex Asia in Africam transitum ostendit nobis hujusmodi fortuna in (x) *Campione Gauro*, & (y) *Tomumbejo*, Mamaluchorum in Ægypto Syriaqve Sultanis ultimis.

(x) Vix per Isthmum ex illâ in hanc commodius transferis, quam per ductum fortunæ in hoc Heroë. In utraqve sanè potens ac felix ad tempus, sed sub finem in bello infelicissimus fuit. *In neminem enim*, inquit *Jovius Elogiorum Lib. 4. p. 222.*, *ut videri potest, vel ab initio blandius, vel in exitu acerbius ac petulantius fortuna jocata.* Postquam enim cuncta militiæ munera nequaquam segniter apprehendisset, aut infeliciter exercuisset, his etiam aliisqve virtutibus dignitatem Regis meritis ac consecutus, cum Selymo Turcarum Tyranno confligit eò eventu, *ut exercitus ejus vinceretur, ipse atate multoqve abdomine gravis, ingentiqve præpeditus herniâ, in multo pulvere, nemine agnoscente, cadenteq, eqvo proculcatus interiret, ac non Syriæ modò, sed Judææ atque Ægypti occupandæ Selymo Victori janua aperiretur. Jovius ibid.*

(y) Hunc Mamaluchi fortissimum esse sciebant, infelicissimum fore nesciebant. Hinc Regnum ei traditum & à Selymo ereptum. *Jov. d. l. p. 224.* Contigerunt autem hæc sub initium seculi superioris.

#### THESIS X.

*Carthago*, urbs *Africa* potentissima (z) *Hamilcarem* (†) *Numidia Jugurtham* nobis sistit.

(z) *Hamilcarem* Patrem, & *Hannibalem* Filium, & animi magnitudine & calliditate omnes in *Africa* natos præstitisse constat. *Corn. Nepos in Timol.* Filius tamen, veneno licet à seipso post extinctus, felicem



cem militiæ suæ colophonem imposuit, armis Pergamenorum sæpius repulsis atque superatis. Pater autem, dum in Hispaniâ fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus occiditur, gloriâ universæ Hispaniæ domandæ, Filio Hannibali, post Hasdrubalem, generum, relictâ, Justin. Lib. XLIV. c. 5.

(†) Vario erat Vir ille & multiplici ingenio & ad vicissitudines versatili, & eâ præditus audaciâ, cui multa calliditas esset admista. Sed à Mario victus & in triumpho ductus, desipere ac delirare cœpit: Post carcere clausus obiit: Tantum abest, ut post gloriam bellô partam, aliquid sinistrae fortunæ abfuerit. Vid. præter Salust. de bello Jug. Plutarch. in Mario, & Muret. var. Lect. L. I. c. 10. ubi ex Græco textu Interpretem Latinum corrigit.

### THESIS XI.

IN Europa ex Græcis notari merentur in primis (α) Rex III. Epiri Pyrrhus, (β) Miltiades & (γ) Lysander belli Duces. Europæa.

(α) Admirabiles hujus casus, jam tum Justinii judicô L. 23. c. 3. in exemplum fuerunt. Nam sicut antè secunda fortuna, rebus supra vota fluentibus Italiæ Siciliæq; imperium, & tot de Romanis victorias adstruxerat; tandem, veluti damna amissæ Siciliæ Italiæque, acquisito Macedonia regno, pensaverat: Ita adversa, velut in ostentationem fragilitatis humanæ, destruens quæ cumulaverat, Siciliensi ruine naufragium maris & fœdam adversus Romanos pugnam, turpemq; ab Italia discessum, tandemque sub finem (ad quem nos respicimus) miserabilem belli ac vitæ exitum adjecit. Repulsos enim à Spartanis & Argos petens, dum Antigonom in urbe clausum expugnare conatur, inter confertissimos violentissimè dimicans, saxo de muris (à muliere projecto) ictus occiditur, cumque vita spem victoriæ amittit. Justin. d. l. & L. 26. c. 3. & 5. Confer. Plutarch. in vita ejus.

(β) Felicissimus hic longo tempore Atheniensium Dux, Chersonesum, Lemnum & reliquas Cyclades sub potestatem redegit, Victor Persarum in pugna Marathoniâ, ac Insularum, quæ Barbaros adjuverant, Triumphator. Sed in Pariis oppugnandis, paria facere non potuit, deficiente Fortunâ. Cum enim jam in eo esset, ut oppidô potiretur, procul in continenti, lucus, nescio quo casu, tempore nocturno incensus, Parios à deditone & Miltiadem ab obsidione deterruit. Hæc fortuna ejus militaris adversa; quam exce-



pit civilis & domestica: suspicio proditionis, multa, vincula, & in vinculis Mors. *Nepos in vitâ ejus: Just. L. 2. c. 9. & 15.*

(γ) Hic Lacedæmoniorum Dux, victis Alcibiade & Conone, claris Atheniensium Heroibus, Athenienses omni ditione exuit, ipsamq; urbem obsedit atq; cepit. Quibus victoriis insolentior factus, novis rebus studere cœpit, & delatus ab Antistitibus Jovis, quos in suum commodum corrumpere allaboraverat, Judicium verò sententiis absolutus, Orchomeniis subsidio mittitur. Sed, mutatâ in contrarium fortunâ priori, superatur & obtruncatur in prælio. *Corn. Nep. in vitâ ejus. Just. L. V. cap. 5. seqq.*

Potest his annumerari *Eumenes*, Cardianus aliàs è Thraciâ, sed sub Philippo & Alexandro M. fortunam bellicam comitem, tandem, post hujus excessum retrogradam expertus. Hæc enim unâ cum exercitu ab ipso defecit: hinc Antigono traditus & à custodibus jugulatus. Complexus est hanc fortunæ perfidiam *Nepos in vita ejus*, inscriptionem quasi in statuâ meditatus: *Sic Eumenes annorum quing; & quadraginta, quum ab anno vigesimo, septem annos Philippo apparuisset, & tredecim apud Alexandrum eundem locum obtinuisset; in his uni equitum alæ præfuisse; post autem Alexandri M. mortem Imperator exercitus duxisset, summosq; duces partim repulisset, partim interfecisset; captus non Antigoni virtute, sed Macedonum perjurio, talem habuit exitum vitæ.*

## THESIS XII.

b.  
Romana.

**N**Ec (δ) Roma, jam olim, sine hujusmodi exemplis fuit, inter quæ eminent (ε) *Pompejus M.*

(δ) Insolens, nec tamen non vera, est vox *Livii L. 9.* ubi factâ digressionem, *quinam eventus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit?* quærit, & hominis cum homine, Ducis cum Duce, fortunam cum fortunâ conferens: *Quot, inquit, Romanos Duces nominem, quibus nunquam adversa fortuna pugnae fuit? Paginas in Annalibus Magistratum fastisque, percurrere licet, Consulorum Dictatorumq;, quorum nec virtutis, nec fortunæ ullo die populum Romanum pœnituit.* Nihilominus ipse, jam ante hæc verba, *Pompejum M.* inter exempla fortunæ bellicæ, cum ætate senescentis, refert; *Cyrum*, inquit, *quem maximè Græci laudibus celebrant, quid nisi longa vita, sicut Magnum modò Pompejum vertenti præbuit fortunæ?* quem & nos primum & primarium exemplum elegimus.

(ε) Hu-



(6) Hujus virtutem ac felicitatem in bello nemo splendidius describit Cicerone in Orat. pro L. Manil. Cujus, inqviente, adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis sed triumphis, est traducta. Quod deniq; genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna Reipublicæ? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mistum ex civitatibus, atq; bellicosissimis nationibus, servile, navale bellum, varia & diversa genera & bellorum & hostium, non solum gesta ab hoc uno sed etiam confecta. Erant hæc jam tum gesta: de futuris autem, forte non absqve omine, timidiùs, *ibid.* De hujus, inqvit, hominis felicitate, quo de nunc agimus, hæc utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut præterita meminisse, reliqua sperare videamur. Nec spes decollasset, nisi cum Cæsare conflisset, victus ab eo in acie Pharsalicâ, & præter hanc militarem, etiam domesticam fortunam finistram in fugâ atqve exilio expertus, captus à Ptolomæo, ejusqve jussu in naviculâ obtruncatus. *Vell. Pater. Lib. 2. hist. p. m. 124, 126. seqq. Epit. Livii LXXXIX, CI, CXI, CXII. &c.*

### TH. XIII.

Jungi huic merentur ejusdem ævi ac fortunæ (2) Marcus Brutus, (7) C. Cassius (8) M. Antonius, & sub Christianis olim Imperatoribus (9) Bellisarius.

(2) Hic Cæsare percusso, cum C. Cassio belli Collega provincias exercitusqve occupaverat, Cajoqve Antonio fratri M. Antonii, nec non Vatinio circa Dyrrachium legiones extorferat. Post Lyciis devictis, cum C. Octavio & Antonio acie concurrir tantâ virtute, ut etiam cornu, cui Brutus præerat, pulsus hostibus, castra Cæsaris caperet. Cùm verò deinde post paucos dies iterum confligeret cum hostibus, victus acie deqve fortunâ suâ desperans, manus violentas sibi ipse intulit, aut, non consentientibus Historicis, à Stratone Ægeate mortem precario impetravit. *Plutarch. in vitâ M. Bruti. Vellej. Paterc. Lib. 2 p. m. 185, 187, 199, 212, 213. seqq.*

(7) Eodem fortunæ lusu elatus, nec dissimili genere mortis sublatus est Collega Bruti C. Cassius, qui Syriâ in potestate retentâ, fugatisqve inde Parthis, & Cæsare in curiâ Pompeji percusso, Laodiceam

ex-



expugnârat, Dolabellam ad mortem adegerat, Rhodum ceperat, aliaqve plura perfecerat felicissimè, donec in prælio, quod cum Octavio & Antonio committebat, victus & desperatione adactus, Libertum inferre sibi manus cogeret. *Vellej. P. Lib. 2. p. m. 161, 186, 211, 213, 214, 215, 216, & 246.*

(θ) Hujus felicitas victoriis hætenus aliisqve blanditiis elata, Augusto succubuit, testantis tunc, cum ultima verba ad svavissimam suam Cleopatram faceret, hanc fortunæ mutationem, et: *Ipsam, momentis, non lugeret propter has ultimas calamitates, sed beatum duceret propter priores felicitates. Plutarch. in vitâ M. Antonii.*

Ostorii mentionem jam injecimus suprâ *Tb. IV. Lit. k.* Hic autem reliquis adjici potuisset M. Crassus, nisi propter ultimam ejus fortunam, quæ in pugna cum Parthis vitam cum victoriâ ipsi eripuit, intercederet *Plutarchus in comparatione Nicia & Crassi, circa finem.* Crassus enim, inquit, propter innumeram errorum multitudinem, nullum fortunæ vituperanda locum reliquisse videtur, atq; sola ejus apparet accusanda stultitia, quam non tantum Parthorum virtute, quantum adversâ Romanorum fortunâ superatam fuisse putandum est.

(ι) Hic triumphalis homo, ac sine dubio ejus seculi virtute dignitateqve Princeps (sic dictus à Sigonio *L. 20. de Occident. Imper. p. 357.*) sub Imperatore Justiniano, multis victoriis adversus Gothos inclutus, tandem Totilam ab obsidione Rosciani repellere frustra conatus fuit. Vide *Sigon. d. l. L. 17, 18, 19, & 20.* Post, Constantinopolim, evocatus in suspicionem conjurationis incidit, & domi suæ custoditus, sed altero anno, re ad liquidum exploratâ, tanquam innocens emissus fuit, mortuus eodem anno cum Justiniano *D L XV. Sigon. p. 357.*

Potest huic, hostis aliàs ejus, Rex Gothorum Totilas, adjungi, qui postquam annos duodecim inter Gothos regnâisset, & res magnas & memorabiles gessisset, ut repente à fortunâ elatus fuerat, sic inopinato quoque ab eâ ictu depressus, victus ac interfectus est à Romanis, *Sigon. d. l. p. 343.*

TH. XIV.

EX priscis Germanis sufficiat meminisse (κ) Arminii, è Saxonibus, (λ) Bertholdi.

c.  
Germanica.

(κ) Hic



(κ) Hic Liberator haud dubiè Germania, & qui non primordia Populi Romani, sicuti alii Reges Ducesq̄, sed florentissimum imperium laces-  
serit: praeliis ambiguus, bello non victus, tandem, cum regnum affecta-  
ret, petitus armis à popularibus, cum varia fortuna certaret, dolo  
propinq̄vorum cecidit. Tacit. Annal. II. in fine.

(λ) Bertholdus, Sax. Dux, (tempore belli regiã auctoritatem habens; vid.  
Fabric. Orig. Saxon. L. I. p. 69.) curren- te sec. 7. primùm ad-  
versus Ditbertum, Lotharii Regis Francorum Filium, feliciter libertatem  
Patriæ tutatus, sed post à Lothario victus ac occisus est. Fabric. p. 71.  
Quæ clades eò magis notanda est, quò gravio- rem Saxonibus, servi-  
tutem attraxit, quam curren- te sec. 6. notabili ad omnem posteri-  
tatem exemplò, fortissimè à se unà cum Gallis hostibus, repule-  
rant. Digna sunt verba Fabric. p. 57. quæ ab omnibus observentur:  
*Saxones pro focus & vitâ coacti pugnare, sese mutuò adhortantur at-  
que animant: quanta suorum majorum virtus fuerit, quàm intolera-  
bilis Francica sit superbia, in animos revocant, & in eo conveniunt  
atq̄, persistunt universi, potio- rem esse mortem dedecore, internecio-  
nem servitute. Itaq̄, metu in furorem versò, arma certatim sumunt,  
& praelium expetunt: tantamq̄, Francorum stragem edunt, ut pauci  
è regis evaderent superstites: plurimi quoq̄, mallent esse comites Re-  
gis in fugâ, quàm virorum fortium, stationem non deserentium, socii  
in pugna. Cæterùm, quia de priscis Saxonibus, aliisque Germaniæ  
populis, pleraq̄ nobis certò non constant, iis conq̄virendis non  
immoramur.*

#### TH. XV.

EX media ætate contenti sumus solo (μ) Theodorico,  
Marchione Brandenburgico.

(μ) Nam & hòc, ad demonstrandum infelicem præcocium actionum  
eventum contentus est Camerar. part. 3. oper. subcis. cap. 23. p.  
81. Hic tempore Henrici II. incipiente Seculo XI. fortunâ bellicâ  
clarus, erga Mystovium Obotritorum Regulum nuper ad Chri-  
stianismum conversum, & reliq̄vam Vandalicam gentem valdè  
iniq̄vus & sævus extitit. Tandem utrinque concitatis animis  
inter eos bellum exardescit, in quo cum Theodoricus non expe-  
ctato auxilio cum Vandalis temerè conflisset, mox victus ac  
profligatus, totâ suâ ditione exutus est, & quoad vixit, nullâ un-  
quam



quam aut reconciliatione potiri, aut suam ditionem à Vandalis recuperare potuit. In perpetuo igitur exilio vitam traduxit miseram, Magdeburgi Eleemosynâ Canonicorum sustentatus. *Georg. Sab. in ejus vitâ, & ex eo Camerar. d. l.*

Plura verò in mediâ ætate conquiri posse exempla, certum est. Cum enim Germani, quibuscum certaverint, semper habuerint, nec inter eos exercitibus semper præfuerint Rudolphus Primus aut Albertus I. quorum ille à continuis victoriis Victoriosi, hic Triumphatoris nomen accepit, hujusmodi tragedias nonnunquam lætioribus initiis ac progressibus, infelicem finem imposuisse, constat. Sed quo magis id constat, cum talia non parcè legantur passim annotata, eò breviores hîc esse volumus, potuimus. Ex eadem causâ de recentioribus multa commentari, opus non erit. Duas itaque tantum theses de his adjicimus.

#### TH. XVI.

**S**uperiori seculo maximè notandi sunt (v) Carolus V. & (ξ) Albertus Brandenburgicus.

(v) Hujus res, maximam partem, felicissimè gestas, nemo plenius ac nervosius descripsit ipso Carolò. Quum enim A. 1555. S. Kal. Nov. Bruxellis Filio Philippo Belgii Burgundiæque imperium traditurus esset, ipse in solennissima illa Panegyri è Codice, quem ad sublevandam memoriam attulerat, tanquam è rationario Imperii, Gallicâ Lingvâ recitavit, quæ à septimo decimo ætatis anno ad eam usque diem peregisset, *expeditiones profectioesq; novem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quatuor in Galliam, decem in Belgium, duas in Angliam, totidem in Africam, mari undecies remenso; bella, paces, fœdera, victorias, enucleatè singula magnificèq; magis quam superbè. Strada de Bello Belg. Decad. 1. L. 1. pag. 6.* Nihilominus fortuna, tanti Herois fastidio tandem ac fatietate capta, retrocedere incepit, ipso id non nesciente nec negligente. *Observârunt enim, ex quo ille Metim à Gallis captam recuperare, exercitu centum hominum millium ad urbem admoto frustra tentavit, desideratis in eâ obsidione non paucioribus quadraginta suorum millibus; tantum inde mœrorem animi contraxisse: præsertim quod paulò antè in Germaniâ consulere sibi indecora sanè fuga, certè insolita, coactus fuerat à Mauritio Saxonum Duce; ut per aliquot dies publico abstinuerit,*



rit, incrementemq; morbum acriori sensu in posterum tolerarit. Quin & ipsum, ad Henricum II. Gallia Regem respicientem, ejusq; aetatem cum sua conferentem, dixisse memorant: *Fortunam esse Juvenum amicam.* Imò hanc inter causas abdicati Imperii referre non verebantur callidiores. *Strada d. l. p. 14. & 15.*

(ξ) Inter hunc & Mauritium Saxoniae Electorem, cum essent aequales, maxima semper fuerat necessitudo, sicut nihil esset illis conjunctivus: Tribus enim bellis ambo simul Caesari militarunt, Gallico, Schmalcaldico, Magdeburgico: deinde quartum atque postremum A. 1552. in Caesarem susceperunt: sed ipsis, nata offensio- ne, Anno 1553. 9. Jul. acie congressis, Mauritius Victor occubuit, Albertus fortunam priorem recipere, ac ab eo praelio vel mediocres recolligere copias nunquam potuit. *Sleidan. Lib. 25. p. 801. 802.*

### TH. XVII.

**H**Oc nostro seculo imprimis memorabiles sunt (ο) Mau- ritius Nassovius (π) Joh. Bannerius (ε) Otto Ludovicus Rheingravius (σ) Ambrosius Spinola (τ) Carolus Gustavus Rex Sveciae (υ) Tillius (Φ) Königsmarkius Pater (χ) Jacobus van Wassenauer, Toparcha in Opdam.

d.  
Variis.

Conjungimus hos, tempore omnes, non patriam conjunctos, imitati *Forstnerum*, qui quatuor priores eadem serie recenset in *Not. ad Tacit. Annal. L. XII. p. m. 266: Nuper, inqviens, (ο) Mauritius Nassovius, Belgarum foederatorum Imperator ille fortis & cautus & perpetuo felix, concepto ex Brede infesta, nec avertenda obsidione, (quae illi extrema expeditio fuit) mœrore extinctus fertur.*

(π) *Johan. Bannerium & (ε) Ottonem Ludovicum Rheingravium, illa duo Jovis Svecici fulmina, ad extremum fortuna destituit.*

(σ) *Ambrosius Spinola obsidioni Casalensi mente quoq; captus immortalis est.*

Reliquos quatuor nos adjicimus. (τ) Fortissimus hic Heros, fortunae favorem a tempore obsessae Hafniae, haud parum a se alienari, ex uno alteroq; experimento sensit. Dicitur exinde dubiae fuisse valetudinis, usq; dum Ann. 1660. 23. Febr. ex febre mortuus est.

(υ) *Tillius cum Magdeburgo fortunam suam evertit, & A. 1631. 7. Sept.*



Sept. propè Lipsiam, iterumq̄ A. 1632. verno tempore ad Licum, non procul ab Augusta Vindelicorum, victus, & glande propè hypochondria transverberatus Ingolstadii obiit. Vide *Brachel. ad Ann. 1631. 32.*

(Φ) Königsmarckius Pater in bello Svecico-Polonico à Dantiscanis captus, ne quidem ex eo tempore occasionem habuit tentandi fortunam benigniorem.

(χ) Jacobus van Wassenaër, in Opdam, Archithalassus Belgarum, in penultimo bello Anglico, strenuus & non infelix hæctenus, victoriam superatâ classe, vitam accensâ navî amisit. Idem fatum Inclutissimo Antecessori ejus *Martino Harpero Trompio*, Anno 1653. in navali cum Anglis prælio, ex ictu glandis plumbeæ fortiter occumbenti, æmuli aut hostes Belgarum imputant. Sed hi eum Victorem, velut alterum Epaminondam, interfectum fuisse, in Epitaphio ac narrationibus testantur. Vide *Schoock. in Imp. Marit. append. p. 169. seqq.*

## Caput II. Philosophicum.

### THESIS I.

Solemus nos homines casus adversos non tantum observare, sed & ad concomitantes circumstantias, inprimis autem ad (a) tempus respicere, illosque, qui frequentius accidere videntur, huic imputare.

(a) Huic curiositati debemus dies Criticos, & annos Climactericos tam hebdomaticos quam Enneaticos: Item periodos Rerumpublicarum, sive illæ quinque sive septem seculis circumscribantur. Nam his certis temporibus hominem & Rempublicam mutationibus succubuisse, curiosi deprehenderunt. Quod si verò hîc aliquis conjecturæ locus est, putamus id profluxisse ex ipsâ hominis naturâ; cujus proprium est: numerare posse. Hinc tantus hominibus in numeros amor: inde observatio certorum numerorum. De Pythagoræis constat; quibus denarius omnium perfectissimus videbatur esse, dignus ex hac causa, qui ab ipsis cælo attribueretur; imò quæcumque in numeris & concentibus ostendere poterant, cæli affectionibus ac partibus, universoque ornatui esse consentanea,

ca



*ea colligentes accommodabant; teste Aristotele L. 1. Metaphys. cap. 5. Totum deniq; cælum concentum & numerum esse, existimabant. Ibid. Similem in modum numeri aliis rebus tum ab ipsis Pythagoræis (unitatem ad animam ac mentem, quaternarium ad justitiam, septenarium ad tempus, referentibus) tum ab aliis, applicati sunt. Vide Salmas. de Annis Climacter. Item Interpretes ac adversarios Platonis de numeris Reipublicæ fatalibus.*

### THESIS II.

**L**ubricum hoc esse fundamentum, vel Autores ipsi suâ testantur inconstantia ac (b) varietate.

(b) Hinc dies critici uno plures: Anni Climacterici gemini: Periodus Rerumpublicarum quinario aut septenario seculorum definita. Hâc enim factâ ampliatione, cum vel maximè fallunt, non videntur fallere. Imò hinc nonnullæ observationes ad tempus quidem, sed laxius, non per diem aut annum, sed integram aliquam ætatem, determinatum, relatæ sunt: quò referimus hanc, quæ nostrum jam argumentum est, de fortuna Clarorum belli Ducum sub finem militiæ.

### THESIS III.

**C**avendum itaque (c) ab excessu, sed & (d) à defectu est, ne vel superstitionis, vel temeritatis culpam incurramus.

(c) Excessus committitur 1.) si propositiones universales formemus. Magno enim cum periculo illæ in hujusmodi casibus enunciantur. Vide id graviter monentem *Scaligerum Exercit. 295.* adversus *Cardanum*, qui mutilos omnes dixerat esse improbos. Imò non contemnenda est ejus observatio, quâ *ibid. p. 873. improbos penè totum per humanum genus longè plurimos esse, animadverti autem ex iis mutilos atque notari conjicit; quia suarum miseriarum notis sint nobiliores.* Nam in eundem modum à nobis illi, qui annis Climactericis moriuntur, sollicitè observantur: Reipublicæ, quarum ruina in periodum fatalem incidit, in tabulas referuntur: reliquis cum hominibus tum Rebuspublicis, alio tempore intereuntibus, & dubio procul longè pluribus, ex incuriâ neglectis. Nec dissimili ratione Duces belli, quorum fortuna longo cursu fatigata



retrocedit, cupidè observamus; quos perpetuâ felicitate protegit, negligimus. Excedimus etiam 2.) si tempus inter veras causas, à quibus mutatio felicitatis pendet, referimus. Esto: Veteranum Ducem, ceu de Cyro, & Pompejo M. *suprà cap. I. thesi & XII.* loquebatur *Liv. L. 9. longa vita vertenti præbeat fortuna*; illa tamen inter antecedentia ejus generis aut ordinis tantum numeranda erit, quæ conditiones sine quibus non, à Metaphysicis vocantur. Oportet enim eam antecedere. Vita verò, uti olim in *Alexandro M.* aut militia, sicut nostro seculo à *Torstenobnio*, tempestivè abrupta, locum fortunæ sinistrae non relinquit.

(d) Deficiendo in hujusmodi observationes peccamus, si eas nullo loco habemus. Notatu digna est temeritas Celeberrimi hoc seculo Medici in Academia Lovaniensi *Thomæ Fieni*, quæ climactericum magnum irridendo, seipsum deridendum exposuit. *Nuper enim*, inquit *Fromondus, Philosophiæ Christianæ de Anim. L. 2. c. 5. p. 327. nobilis Academiae nostræ Archiater Thomas Fienus, in disputationibus publicis sæpè, nobis audientibus, climacteris istius pericula exhibere solitus; isto ipso tamen vitæ suæ anno extinctus est: cum tamen eum non semel differentem audivissemus, Medicum eruditum & expertum non posse decorè, & sine infamiâ artis ante annum septuagesimum vitâ decedere.*

#### THESIS IV.

**M**edium tenent, qui hujusmodi observationibus dediti, utroque oculo ad Deum (e) respiciunt, laudumque divinarum illustre hinc petunt argumentum.

(e) Exemplo potest esse *B. Selneccerus*, qui in *Orat. de Divo Luthero p. 61. seqq.* climactericos hebdomaticos applicans ad statum Ecclesiæ à tempore Reformationis, huc unice tendit. Meditatio ejus hæc est. *Primum Septenarium*, incipiendo ab A. sup. sec. 18. obitus *Friederici Electoris Anno 25. complevit. Secundum* obitus *Joh. Electoris A. 32. perfecit. Tertii* finem A. 39. excepit mors Ducis *Georgii*, ac successio *Heinrici* totiusque *Misniæ* reformatio. *Quartus* vitam *Luthero*, Germaniæ pacem eripuit. *Quintum* A. 53. obitus *Ernesti Ducis* ac *Mauritii Electoris*: *Sextum*, *Melanchthonis* nobilitavit. In *septimum* A. 67 *Tragœdia Gothana*, arce everfâ,  
Prin-



Principe capto : in *octavum* A. 74. Crypto-Calvinismus Witeber-  
 genſis: In *nonum* A. 81. receptio Libri Concordiæ in Provinciis  
 Elector: Sax. aliorumq̃: in *decimum* A. 88. remotio ejus ac ſcripto-  
 rum Lutheri Polemicorum, revocato ex orco Crypto-Calvinismo,  
 incidit. Hucusq̃ per *tres paginas* procedit laudatus Theologus;  
 ſed poſtquam *primâ* ad divinam providentiam, procul ab omni  
 ſuperſtitione, ſe utrumq̃ oculum flectere, clarè prædixerat: *Ad-*  
*miror*, inq̃uiens, *merito Conſilium Dei, qui in doctrinæ ſuæ Evangelicæ*  
*initio, ἐπακμῆ, ἀκμῆ καὶ ὀρθοκμῆ, septenarium κλίμακα* mirabili  
*progressu in montibus Israel, ubi Lutherus docuit, obſervare voluit.*

#### THESIS V.

**N**Os etiam in noſtro argumento Dei primùm, deinde  
 aliarum cauſarum rationem habemus, diſtingventes,  
 ex parte Dei inter cauſam manifeſtam & occultam: ex  
 parte hominum inter cauſam remotam & propinquam.

#### THESIS VI.

**E**X parte Dei cauſa manifeſta eſt (f) adminiſtratio Juſti-  
 tiæ, quâ Duces belli non rarò ob graviffima delicta ſeve-  
 rè punit, aut etiam tarditatem pœnæ gravitate ejus com-  
 penſat.

Cauſa  
 1. Ex parte Dei  
 (a) manifeſta.

(f) Facilis eſt inter arma lapſus in vitia. Nam &

*Cæde nocentum*

*Se nimis ulciſcens, extitit ipſe nocens. Ovid. de Ponto L. 1. Eleg. 9.*  
 Quid dicendum erit, ſi cæde innocentum ſe commaculet Dux bel-  
 li? Imò & alia vitia, extra bellum commiſſa, in Ducibus punit Deus.  
 Hæc cum teſtimonio experienciæ paſſim confirmantur, tum in Re-  
 gibus Iſraëlis, *ſuprà cap. 1. Th. VII.* adductis, expreſſè comprobatur  
 Spiritus S. Piè ac graviter id oſtendit in Saule *Virgilius Malvezz.*  
*Marchio, in perſecut. Davidis politicè tractatâ p. 133. ſeq.* Sed non  
 opus eſt Soli in meridie lucem accendere.

#### THESIS VII.

**E**X parte Dei cauſa occulta eſt (g) Providentia ejus, ſum-  
 ma hujusmodi actionum, nobis non animadvertenti-  
 bus, aut in omnia alia abeuntibus, moderatrix.

(g) Quò



(g) Quò certius hoc à nobis Christianis creditur; eò brevius de eo agimus. Imò sufficiat nobis unius Forstneri, Politicorum Prudentissimi scientissimique, oraculum: *Quo intentius, inq̄uentis, in not. ad Tacit. p. 396. quæ dixi, recolo, eò firmior se animo meo insinuat sententia: esse fatum & numen & sanctam Immortalis Dei curam: quâ per causas medias, variè nexas, omnia temperantur suaviter, sapienter, utiliter.* Gentiles fatum ac fortunam accusarunt; teste omnium temporum ac populorum historiâ. Sed tantæ molis argumentum, nostroq̄ve longè generalius, innuisse fatis est.

### THESIS VIII.

II. *Causa ex parte hominum*  
 (a) *Propinqua,*  
**EX** parte hominum causæ propinquæ sunt (b) Securitas, (i) audacia (k) ignavia (l) timiditas.

(b) *Accidit enim Claris belli Ducibus nonnunquam, quod cæteris mortalibus, ut inconsideratiores in secunda quàm in adversa sint fortunâ. Hinc securitas: quæ Cyrum, (de quo cap. 1. th. VIII.) recenti victoriâ exultantem (Justin. L. 1. c. 8.) Hamilcarem in Hispaniâ fortunam inconsultius secutum, (supra cap. 1. Th. 10. apud Justin. L. 44. c. 5.) pessum dedit. Ennius autem Poëta Romanus inter Principes sui Ordinis, Romanos suos uti studiosè dilaudat, ità hoc quoq̄ Elogium ipsis tribuit memorabile:*

*At Romanus homo, tamen etsi res benè gesta est,  
 Corde suo trepidat.*

*Quibus verbis securitatem eis adimit, ut omnia honesta tribuat: Nihil enim magis Duci providendum, quàm uti securus ne sit, sed cum Arminio sentiat apud Vellejum (L. 2. c. 118. Ner. c. 1) celerius opprimi posse, quàm qui nihil timeat, & frequentissimum initium calamitatis esse securitatem. Cura hoc fuit Metello apud Salustium, qui cum de eo fama præclara esset, tantò intentior ad victoriam nitebatur, omnibus modis festinabat, cavebat tamen, nec ubi hosti opportunus fieret, memor post gloriam invidiam sequi, ita quo clarior, eò magis anxius erat: Julio item Agricola apud Tacitum, quem scribit simul anxium & intentum omnia in bello egisse; Quæ est observatio Piccarti observationum historic. Politic. Dec. III. c. 8. p. 162. 163. Conf. Dec. X. c. 6. p. 231. seqq.*

(i) *Filia securitatis est audacia, quæ Pyrrhum (cap. 1. th. XI.) in obsidione Argorum inter confertissimos violentissimè dimicantem (Just. L. 25.*



L. 25. c. 5.) *Bertboldum*, Saxonum Ducem (*cap. 1. tb. 14.*) Virum ætatis provecæ in ultimo prælio cum Lothario Francorum Rege, temeritate juvenili usum, dicteriisque hostem ante pugnam, Victorem in fugâ laceffentem (*Fabric. Origin. Saxon. L. 1. p. 70.*) *Theodoricum*, Marchionem Brandenburgicum (*cap. 1. tb. XV.*) in Mystovium verbis ac factis temerariè invehentem (*Camerar. hor. subciv. part. 3. c. 23. p. 82.*) perdidit.

(k) Duobus prioribus vitis duo posteriora sunt opposita; nihilominus in Viros hæctenus fortes, æqvè ac illa, nonnunquam cadunt. Cautè verò ignavia & timiditas à prudente cunctatione distingvenda est. Hæc enim inter virtutes Veterani Ducis non infimo loco ponitur, celebrata à *Sveton.* in *Jul. Cesare*, c. 60, qui non nisi tempore extremo cunctantior factus est: quo sæpius vicisset, hoc minùs experiendos casus opinans: nihilque se tantum acqvisiturum victoriâ, quantum auferre calamitas posset. Meminimus & nos ejus jam supra in proæmio. Ignaviam autem tam eleganter, quam verè *Antonio*, (de quo *cap. 1. thes. XIII.*) imputat *Plutarchus* in comparat. *Demetrii & Antonii*: Hunc prorsus, quemadmodum *Omphalen* devictam *Herculi* clavam eripere & *Leonis* pelle exuere videmus, *Cleopatra* exarmans inflectensque, præclaras sæpenumero res & expeditiones è manibus evellens persuasit, ut littore *Canobico* & *Taphosyrrio* apud se piscaretur luderetque, denique quemadmodum *Paris*, medio prælio subtrahens sese, in illius sinum confugeret. Quamquam *Paris* superatus in thalamum confugit; *Antonius* verò *Cleopatram* persequendo fugiebat, ac victoriâ prodebat. Pertinet huc neglecta militaris disciplina, quæ inter species ignaviæ vel primo loco ponenda est. Vide de ea *Piccart. observ. histor. Pol. dec. 3. cap. 3. pag. 140. seqq.*

(l) Hoc vitium observat *Plutarch.* in *Marco Bruto* (de quo *cap. 1. thes. XIII.*) in comparatione ejus cum *Dione*: *Brutus* cum de summâ rei postremò decertaret, neque prudenter iniisse, neque re postea malè gestâ rectum comperisse remedium videretur, & fracto animo spem prorsus abjecit: nec quantum *Pompejus* ipse contra fortunam audentior ivit; & quod majus majusque est, ingens sibi spes restabat in armis, & omnem maritimam oram classe victor constanter obtinebat.

D

THE-



THESIS IX.

Remotæ sunt vel naturalis, vel morales ac civiles.

b  
Remota.

THESIS X.

Naturalis.

Naturalis est (m) Senectus, ad multos casus bellicos apta minus & valida.

(m) Inter hos enim non pauci integrum corporis vigorem ac propè juvenilem audaciam requirunt. Extra eos largimur senectuti cum *Ciceron. in Cat. maj. c. 9. arma omninò aptissima, artes, exercitationesque virtutum: quæ in omni ætate cultæ, cum multum diudè vixeris, mirificos afferunt fructus, nec unquam deserunt, ne in extremo quidem tempore ætatis, &c.*

THESIS XI.

Morales ac Civiles,

Morales ac civiles vel per culpam Ducis bellici, vel citra eam adsunt.

THESIS XII.

(r)  
Per culpam Ducis.

Culpam incurrit Dux belli (n) per æmulationem aut ambitionem alios duces, per avaritiam aut severitatem milites, per novarum rerum studium civitatem à se alienando.

(n) De æmulatione (r) inter Duces exitiabili vide *discursum XI. Scipionis Amirati, dissertationum Politic. in Tacit. l. 2. p. 124. seqq.* (2) Ambitionis, avaritiæ ac crudelitatis, indeque ruentis fortunæ exemplum est *Lysander (cap. 1. th. XI.)* quæ ejus vitia Pharnabazus, Satrapa Regius ad Ephoros per ingeniosam fallaciam, alias *Lysandro ad legendum, alias ad exhibendum literas offerens, ad omnem verò posteritatem Cornelius Nepos* nervose perscripsit. Confer *Plutarch. in ejus vita.* (3) Idem *Lysander* novarum rerum studio, ac præter eum pluresque alios, *Arminius (cap. 1. th. XIV.)* in fortunam suam peccavit, qui *regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit, Tacit. L. Ann. 2. in fine.*

TH. XIII.

(o)  
Citra culpam ejus.

Citra culpam evertit fortunam talis Ducis nonnunquam (o) aliorum invidia, aut (p) ipsius reipublicæ status ad interitum vergens.

(o) In-



(o) Invidia vel est Ducum aliorum, vel Procerum in Republicâ, aliquid prudentiæ aut speciem ejus aliquando habens. Priori modo *Eumenes* (cap. 1. th. XI.) posteriori *Miltiades* (ibid.) felicitate suâ excidit. Hic enim multum in imperiis magistratibusq; versatus, non videbatur posse esse privatus; ideoq; ob Insulam Parum, infeliciter oppugnata, properabatur ad pœnam, nec copia ei, tentandi denuò fortunam suam, fiebat. Vide *Plutarch. de Eumene & Nepot. de utroq;*

(p) Hûc videntur omninò referendî esse duo ultimi Mamaluchorum Reges, *Campso Gaurus & Tomumbejus*, (cap. 1. th. IX.) quorum alterum *damnatis herculè auspiciis*, & jam fatali ruinâ concidente *Mamaluchorum imperiò imperium excepisse*, ut *labantibus & ferè* (sub Campsone) *perditis rebus succurreret*, scribit *Jov. Elog. L. 4. p. 224.*

Atq; hæc de causis Topicè (quis enim apodicticam certitudinem hîc audeat promittere?) deductis sufficiant, quas consultò antiquis quàm recentibus exemplis, cum hæc odiosa sint, & umbram scholæ minùs ferant, illustrare voluimus. Potest autem contingere, ut aliquando una causa tantum, aliquando plures conjunctim operentur; sicut illud passim, hoc autem th. 12. lit. n. num. 2. & 3. in *Lysandro* obiter notavimus, & denuò generaliori monito complecti ac adnectere voluimus. Quod restat, sistimus tam illustris fortunæ hominibus *Solonem*, hodiè non minùs eos ac olim *Crœsum*, momentem: *Neminem ante obitum felicem nominandum esse*: quod copiosè narrat *Herodot. L. 1. & Plutarch. in Solone*, & *Aristoteles L. 1. Nicomach. cap. 10.* non tam reprehendit, quàm interpretatur, ut *Mureto in b. l. pag. 142.* videtur. Vide etiam ibi plures cum *Solone* consentientes Scriptores. Duces autem hujusmodi atq; nos omnes, ut ante & post mortem verè beatos præstare velit Deus, piè precamur.

SQLI DEO GLORIA!

EPI-



QX Tm  
6950

## EPIMETRA.

1. Omnis Virtus consistit in mediocritate.
2. Justitia punitiva pertinet ad commutativam.
3. Majestas potest realiter dividi.
4. Majestas realis Monarchomachorum est Non-Ens.
5. In Monarchia simplici non licet armatâ manu Tyranno resistere.
6. His, ad disputandum, subjectis, memores temporis, quô vivimus, & ætatis, de qua ex parte egimus, mentionem facimus litium, quæ inter Pontificios de jejuniis Senum fervent. Communiter, septuagenarii legibus jejunii solvuntur: Nonnulli tamen sexagenarios, sed alii tantum eos, qui infirmi sunt; alii illos omnes, etiam satis validos, hunc onere levant; quod deficiat amplius quam ipsi intelligant: Quidam autem seniles vires spectandas censent, sine certi temporis designatione. Sed quid opus est his ambagibus in gratiam Senum? cum plerique florentis ætatis homines hunc beneficio fruuntur, teste nobilissimi Ordinis Concionatore apud Dallam de Fejun. & Quadrag. p. 57. & 58. è J. P. Camuso, Bellicensi Episcopo. Cum enim ille in magna quadam civitate, quadragesimali tempore, conciones haberet, ac in ejus jejunii mentionem incidisset, quod Ecclesia per sanctas illas hebdomadas instituit, dixissetque, quam pauci hunc officio fungantur, eos qui à jejuniis legitime essent immunes, recensere cepit, eos v. g. qui duram aliquam & laboriosam artem exercent, qui ætate sunt, vel nondum satis firmi, vel jam inclinati; mulieres item vel gravidas vel nutrices; item egenos, & qui valetudinis incommoda, tametsi non semper ex vero, excusant. Denique cum his sedulo enumeratis undique circumspiceret, neque vel se, vel quemquam alium in tota concione adesse judicaret, qui non ab illa abstinendi lege merito immunis videretur, ipsas postremo basilicæ, in qua concionabatur, columnas convenit homo ingeniosus; easque, quod nihil istorum, quæ recensuerat, causari posse viderentur, solas totam quadragesimam jejunare jussit. Sed & in has, judice allegato Episcopo, nimis severus fuit concionator, quippe quæ & plusquam sexagenariæ essent, & magnum onus, totius videlicet ædis tectum, ferrent.

FINIS.



WMA



II.  
*Objecti Formale : κα] ἀρ-  
 σιν, quod huc  
 non pertinet.*

Inter  
 qui se  
 fortun  
 suæ fin  
 (g) ii, q  
 fortun  
 (c) T  
 pra  
 ex  
 bel  
 co  
 bu  
 in  
 lic  
 ge  
 ut  
 Eg  
 rat  
 ten  
 for  
 (d) T  
 vio  
 per

liff  
 die  
 bu  
 qv  
 re  
 ru  
 ad  
 Cic  
 est  
 cla  
 in  
 ma

us, (olim Legati, ho-  
 autem nimis, uti tri-  
 Nostrorum, quicun-  
 um instruere, expugna-  
 fficium ac studium eo-  
 rio Postumo; nisi quod  
 , quæ uti nostro quàm  
 s, scientiæ ac momenti  
 gentibus meritis tulit  
 odieq, tum Belgarum  
 . Schookium in Imperio

one alieni sunt (c)  
 lices; item (e) qui  
 at medium militiæ  
 erti sunt: nec non  
 morte, sed cætera  
 at.

a congestis laudibus su-  
 a seipso admirabiliorem  
 fortunam expertus, dum  
 lerit. Sic nomine Græ-  
 Cui consonat ad ver-  
 facit, quod adolescens in  
 n expertus decessit. Fe-  
 mi militiæ Ducis, sed  
 , sed ultimo loco, cum,  
 emo possit, numerata:  
 timo, in summo Impe-  
 am rei militaris, virtu-  
 vid. apud Plut. de Rom.

st. 562. p. 910. in Lano-  
 prudentiâ, rei militaris  
 s comparandus, teste,  
 Thuano

